



# **Joannis Wolphii De officio praeconis evangelici oratio : qua D. Pauli 2. Timoth. 2 locus explicatur ...**

<https://hdl.handle.net/1874/399741>

IOANNIS

VVOLPHII TIGV=

RINIDE OFFICIO

Præconis Euangelici

Oratio,

*Qua D. Pauli 2. Timoth. 2.  
locus explicatur,*

Stude teipsum probatum exhibere  
Deo, operarium non erubescendum,  
rectè secantem sermonem  
ueritatis,

TIGVRI

Excudebat Christophorus Froschouerus

Junior, Mense Martio, 1562.

IOANNIS

WOLFFII

PHYSICI

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

D. IOANNI FRISIO,

ET D. CHRISTOPHORO  
FROSCHOVERO IUNIORI,

Viris Clarissimis, Ioannes

Vuolphius Tigurinus

S. P. D.

**R**IDI E Idus Ianuarij, cum le-  
ctioni D. Martyris interesset, uenisset  
etiam eò D. Bullingerus : ubi Martyr  
legendi finem fecisset : quod mandare  
mibi poterat, à me petijt D. Bullingerus, ut V. Cal.  
Februarij die, in frequenti fratrum, qui in urbem ex  
uicinis agri Tigurini partibus huc uenturi fuerant,  
coetu, de officio nostro uerba facerem. Igitur ubi is  
nobis affuit dies, qualem in tantillo à negotijs meis  
otio parare poteram, orationem dixi. In qua profe-  
cto infantiae atq; imperitiae meae mihi probe con-  
scius, Diui Pauli uerborum uestigia secutus, ex eius  
ipsius sententia, quo animo praeditus, et quibus rebus  
negotijsq; deditus esse, quam denique res diuinas ad-  
ministrandi uiam ac rationem tenere debeat, qui pra-  
dicandi Euangelij munus suscepit, quanta maxima  
potui fide & diligentia, commonstrauit. Eum uero,  
qui illo munere fungitur, Praeconem Euangelicum i-  
deò nominaui ; quòd Christus Dominus, cuius in nos  
studia atq; officia praedicamus, ex his terris in caelos

ascensurus, iussis exire in uniuersum mundum Apostolis dixit, *Κηρύξτε τὸ εὐαγγέλιον*, id est, Prædicare Euangelium. Quo Christi mandato, cum uerbū *κηρύξτε*, q̄ est prædicatorū & præconū proprium: tum ipsum Euangelij nomen, simul ambo continentur: quorū altero doctrinæ summa ac caput, altero doctrinæ proponenda atque explicanda ratio demonstrantur. Quæ res cū tanta sit, quātam nemo queat cogitatione totā cōplecti, nedū oēm aut uerbis efferre, aut reipsa præstare: de ea quantum huius temporis atq; loci fuerat, quantumq; Pauli uerba requirebāt, dixisse, boni uiri sibi satis esse iudicabūt. Ac quanquā credā multorū mihi reprehensionē expectandā esse, q̄ tam magna de re tantillā oratiunculā patiar euulgari: uobis tñ uiri clariss. hanc tātoperere et probantib. & ut cōmunicari cū amicis possit, excudendā dari postulātibus nō possum nō beneficij gratiæq; causa cōcedere, et dedicare. Idq; partim uestrorū erga me meritorū recordatiōe grata adductus: partim meæ apud uos existimationis tuēde studio facio: q̄ & agnoskā me uobis obstrictū memoria nō paucorū beneficiorū sempiterna: & nolim, si negē, quasi uel intēpestiue me compellatū, uel impudenter rogatū putē, in odiosam morositatē incidere. Illud potius uobis de me psuasum uelim: mihi tametsi beneficia uestra numerādo cumulādoq; illustrare nō possim: tamē uoluntatē ad referendā gratiā nunquā defuturā. Valete, amici summi. Tiguri. Prid.

Non. Febr. 1562.

# DE OFFICIO PRAE-

CONIS EVANGELICI

Ioannis Vuolphij

Oratio.



**V**M M V L T A diuinitus,  
patres & fratres uenerandi, à  
maioribus nostris inuenta atq;  
instituta sunt: tū nihil præcla-  
rius, quàm quòd è uestro cœtu  
atq; ordine, bis quotannis aliquem surgere, &  
quid nostri sit officij dicere uoluerūt, nimirū ut  
is, non sententijs solum suis, uerumetiam con-  
quisitis ex scriptura sacra argumentis & ex-  
emplis ad huius officij dignitatem defenden-  
dam, cum uenerādum hunc conuentū uestrum,  
tum se ipse etiā magis alliceret atq; excitaret.  
Atq; illum quidem morem uestrum, non modò  
diuus Paulus eo ipso probat, quòd mutuis mo-  
nitis nos ad pietatis studium censet excitari de-  
bere: uerū ipsa quoq; officij nostri magnitu-  
do, his præsertim tam deperditis moribus &  
temporibus, uidetur postulare. Quantum enim  
quamq; graue atq; arduum munus, nostris ipso

## DE OFFICIO

rum, quibus est prædicandum Euangelium, hu-  
 meris incumbat: ij ignorare non possunt, qui  
 cõsiderant quòd nobis est omne genus hominum  
 edocendũ, quid deceat, dedeceat ue: quid noceat  
 aut expediat: qua pateat ex malis miserijsq; hu-  
 manis effugiũ, qua uia ad summum bonum re-  
 ctissima ac tutissima contendatur. Intelligunt  
 enim illi rem ipsam postulare, ut id recte riteq;  
 fiat, ut ipsi nõ tam oratione & uerbis, quàm no-  
 stro ipsorum exemplo, homines ad officium alli-  
 ciamus: ut deniq; ad id quod alijs persuadere uo-  
 lumus, ipsi nostrapte quasi natura propendea-  
 mus. Graue est igitur & arduũ munus eius,  
 qui, quæ modò diximus, præstare uelit: at mul-  
 tõ grauius est impositum ei, qui quasi isthac ipse  
 iam sit consecutus bona, sic alijs ea se demon-  
 straturum & traditurum profiteatur. Quocir-  
 ca mihi quidem frequens ille conuentus uester  
 iucundissimus, & hæc cohortandi uetus consue-  
 tudo augustissima semper est uisa: uos autem  
 ut hic locus optimo cuiq; maxime pateret, uo-  
 luitis. Credo ergo uos, uenerandi uiri, mirari  
 quid sit, quòd cum tot eximij theologi, homi-  
 nesq; doctissimi conuenerint, ego potissimum sur-  
 rexerim, qui neq; atate, neq; ingenio, neq; autho-  
 ritate sim cum his qui adsunt, comparandus.

Omnes enim hi, quos uidetis adesse in hac corona, me uel doctrina ac cognitione rerum maximarum, uel usu facultateq; dicendi, uel ijs, quas dixi, rebus superant. Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? Equidem fateor, me cum antea per aetatem nondum huius auctoritatem loci cōringere auderem, statueremq; nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, referentum maximarum rerum notitia afferri oportere: si maximè euocatus essem, tamē in silentio fuisse permansurum. Iam uerò nescio quo modo D. Bullingeri auctoritate & iudicio moueor: meae erga uos obseruatiōe conscientia adducor, spe & fiducia beneuolentiāe erga me uestrae erigor ad dicendum. Vt igitur, quam expectatiōnem cohortationis utilis & salutaris cōcitati, hanc sustinere & tueri possim, eximium illum Christi seruum diuum Paulum Apostolum, in hunc conuentum uestrum producam, qui uobis, quae me deficiūt, omnia cumulatiōe com- pensabit. Is enim, ut scitis,  $\sigma\kappa\lambda\ \&\ \epsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\eta\varsigma$ , id est, egregium Dei instrumentum fuit: is in tertium usq; caelum raptus, quid nostri sit officij diuinitus cognouit, is longo rerum usu quid sit nostrarum partium explorauit, is morte fortiter



DE OFFICIO

obita quantum in hac doctrina profecerit, esse attestatus. Igitur in secunda ad Timotheum Epistola secundo capite, cum tractatione egregia quasiq; bipertita, primum quid studere & eniti, deinde quid cauere & fugere Euangelicus præco debeat, ostendisset: in medio inter utranq; partem tractationis eius loco, quasi summam ac caput omnis huius officij proponens dicit: *Σπένδασον σεαυτὸν δόκιμον ὡς ἄσκησαι πρὸς θεῷ ἐργάτην ἀνεπαίχλωτον, ὁρδοτομουμένον τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.* Id est, ut ego inter pretor, Da operam ut te probatum sistas Deo, qui sis operarius non erubescendus, qui recte seces sermonem ueritatis. Quod perinde est ac si sic dixisset Apostolus: Cum doctrina Christiana, quæ satis firmis argumentis est comprobata, positis alijs curis negotijsq; uitæ humane, uenice sit retinenda, ac rursus cupiditatibus repressis, explosaq; contentione, iustitiæ, charitati, spei, & alijs eiusdem generis uirtutibus sit studendum: medium ac rectum, quod Euangelicus præco teneat, iter illud erit: ut in studiū prouehendæ gloriæ diuinæ salutisq; publicæ maximè incumbat: ut in opere Domini se præstet industrium & bonum: ut ipsum Dei uerbum recte

recte riteq; doceat. Quæ cum sit, ut est profecto diui Pauli sententia: sequitur, ut quæ tria scimus in omni uitæ genere bene affecta plurimū posse: animum, uitam, gerendæ rei rationem; ea uelle Paulum etiam in præcone Euangelico recte esse instituta & cōparata. Apostoli mens & sententia quæ sit uidetis: nunc quid agendū, unde exordiendum, qua uia procedendum sit, considerate. Primū mihi uidetur de animo, deinde de uita ac moribus, tum de recta gerendæ rei ratione differendum.

Ac primum quidem uult Apostolus animū præconis euāgelici, in eum qui Deo probari possit, habitum conformari: idq; eo ipso declarat, quod eum Deo probatū sibi iubet. Quem enim Latini probum aut probatum appellant, eum Græce Paulus δόκιμον uocat. At δόκιμος illis idem est, qui χρήσιμος idest, utilis, & τέλειος, id est adultus, iustæ magnitudinis, ætatis integre dicitur. Et δόκιμοι ζεδαι dicuntur, qui suæ ipsorum tutelæ permittuntur, qui Romanis olim uirilem togam sumere, Græcis autem ἀγούδαι dicebantur. Et quia uerbum actiuū eandem omnino, quam explorandi, exquirendi, probandi, censendi uerba uim habet: illud etiā

## DE OFFICIO

significat, in ordinem aliquem, uel collegium  
 quoddam eum suscipi, qui probatis sit meritis  
 atq; moribus. Videtur autem ab exploratione  
 metallorum ad examen censuramq; hominum  
 facta translatio: quod perinde ut aurum igne,  
 sic censura ac iudicio homines explorantur. Est  
 ergo se probatū alicui sistere, nihil aliud, quā  
 eum se prestare, qui quacunque parte uel ratio  
 ne inquisitio fiat, ipse uerus, iustus, syncerus &  
 probus inueniatur. Ex quo sequitur, ut quot-  
 quot eorum, quibus cum negotium homini  
 intercesserit, fuerint genera, totidem etiam esse  
 probationum formas. Est autem homini secum  
 ipso primum commercium: deinde cum homini-  
 bus reliquis proximum: tum summum & salu-  
 berrimum cum opt. max. deo. Ergo prima fue-  
 rit ea probationis forma, qua se quisq; sibi ipse  
 probat. Hāc Apostolus, ne nobis ipsi plus equo  
 tribuamus, eoq; nos eamus perditum, passim rez  
 quirit: ut Corinthijs scribens, uos ipsos (inquit)  
 tentate, num sitis in fide: uos ipsos probate. Et  
 iisdem accessuris ad sacram eucharistiam, ut se  
 prius ipsi probarent, suasit. Sed & in epistola  
 ad Galatas, pluribus uerbis huius usum proba-  
 tionis atq; causas describit. Ea uero probatio-  
 nis est

2. Cor. 13.

1. Cor. 11.

Galat. 6.

nis est altera forma, qua se quisque dictis atque factis, itemq; specie uirtutis externa quadam probat & commendat ijs, quibus cum negotiū habet. Qua Diuus Paulus alibi, Corinthijs 2. Cor. 8. itidem scribens, se quoq; esse usum ad hunc modum refert. Misimus autem unā cum illis fratrem nostrum, quem probaueramus in multis saepenumero diligentem, nunc autem multo diligentio- rem. Eodem genere probationis utitur ipse etiam Deus: quando uel rei Christianae publicae perduellium inflammato atque ignito furore, uel aliās aliter fucatam ac falsam pietatem omnibus hominibus aspiciendam quasi in lucem profert: uel syncerā ac solidam fidem, quae nemini quanta fuerat, esse uidebatur, insigni aliquo facto in conspectum hominum producit. Tertiam formam usurpare ij solent, qui nō modo mores, sermones, gestus illos externos, qui sensibus oculorum atq; aurium percipi possunt, uerum ipsos etiam animos Deo totos aper- riunt. Hac se Paulus Thessalonicensibus scri- bit, ab ipso Deo, qui corda norit, probatum esse. Profitetur enim se nihil egisse dolo: ac potius Deo quā hominibus placere studuisse. Iam quoniam harum ipsarum probationum prima,

DE OFFICIO

nostri ipsorum amore plerunq; impeditur, fitq;  
 multò quàm debebat esse remissior: altera con-  
 stans magis nititur quàm ueris & certis argu-  
 mentis, & sæpe fallit: tertia sola certa est, &  
 uera, & plena, & solius Dei propria: ab ima  
 Paulus, quasi per gradus, ad illam summam  
 ac perfectam, ut planè probus esse studeat, præ-  
 conem euangelicum ducit. Atq; eo ipso quidem  
 ostendit, ei grauem aduersariam constitutam  
 & paratam, qua examinetur: non popularem  
 quandam trutinam, sed censoriam ac grauem  
 animaduersionem, qua necesse sit, ut tanquam  
 paribus examinatus ponderibus nullam in par-  
 tem moueatur. Siue enim simulatione & inani  
 ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam  
 uultu præmium se laudemq; uirtutis et pietatis  
 consequi posse retur: siue cum ore, lingua, manu,  
 uita omni inquinatus sit, habiturū se confidat  
 impunitatem & licentiam sempiternam: in er-  
 rore turpi simul ac pernicioso uersabitur. Hic  
 enim censor dicit: *Discedite à me omnes, qui  
 operamini iniquitatem. Hic censor scrutatur  
 corda & probat renes. Hic non oculorum atq;  
 aurium sensibus obiectæ, sed occultæ & ab aspe-  
 ctus iudicio remotæ res aestimantur: hic qualis  
 quisq;*

Psalm. 6.  
 Matth. 7.  
 Hier. 27.

quisq; sit, non ex sermone & uultu, itemq; ex di-  
 ctis atq; factis conijcitur: sed ex intimis cordis  
 humani latebris & recessibus, probitas quanta  
 cunq; insit, elicitur. Hic non arbitrium, quod est  
 rei incertae & dubiae: sed quod certa est, & ac-  
 curate cognitae rei, iudiciũ exercetur: hic Dei  
 potius statur iudicio quàm nostro. Quò sit, ut  
 quem homines, quia legibus obtemperauerit,  
 neminem læserit, suum cuique tribuerit, uirum  
 bonum censent: eum ipsum Deus, si quidem ist-  
 hæc metu pœnarum, aut spe & expectatione sui  
 commodi, aut laudis studio, aut alio quocunq;  
 animi proposito malo fecerit: cum integer non  
 sit: pro sincero & probò minime sit habiturus.  
 Quamobrem cum hæc ipsa, quæ iudicium Dei  
 subit, talis omnino tamq; seuera sit & censoria  
 probatio: consequens est ab eo, qui prædicandi  
 euãgelij munere pbè fungi uelit, Paulum hisce  
 quidem uerbis id requirere, ut non modo homi-  
 nibus satisfaciat, aut sibi ipsi placeat: sed ani-  
 mum potius ipsum, quoad potest fieri, ab omni  
 uicio perpurgatum, & ad nutum ac uoluntatẽ  
 dei totum effictum, ipsi deo animorum censori  
 purũ & sincerum sistat. Quam ad rem illud in-  
 primis pertinebit, ut ijs animis atque moribus

DE OFFICIO

præditi simus, qui ita probari Christo summo pontifici nostro queant, uti in illud amplissimi sacerdotij collegium qui cooptemur, digni simus & uideamur. Sed & iam relictis nucibus ita creuerimus maturitate animorum ad prudentiam, ut ne puerilibus atq; leuib; rebus magis quàm cœlestibus & diuinis afficiamur. In quâ sententiam quæ noster Paulus ad Corinthios & Ephesios scripsit, cum ipsi non nesciatis, ego non necesse habeo commemorare. Quod autem iisdem uirilem illam togam, quam adulti sumunt describit, non possum silentio præterire. Non commessationibus (inquit) & ebrietatibus, non cubilibus ac lasciujs, non contentione & emulatione, sed induamini dominum Iesum Christum. Et in Christo edoctos fuisse dicit, renouari spiritu mentis, & induere nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iustitiam & sanctitatem ueritatis. Et Colossensibus ait: Ne mentiamini alius aduersus alium posteaquam exuistis ueterẽ hominẽ cum factis suis, & induistis nouum qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius qui condidit illum. Iam cum ueteris hominis uocabulo, naturam hominis prauam, quæ mentiri solet & fallere:

ac rur-

Ephes. 4.

Colof. 3.

ac rursus noui hominis nomine mentem spiritus  
Christi restauratam significari, nemo sit qui  
nesciat: sequitur Christum, quem iubemur in-  
ducere, quemq; scimus esse expressam opt. max.  
patris imaginem: quales esse nos oporteat, ut  
pbemur ac placeamus Deo, ex eplo suo docuisse.  
Christus autem, o sancte Deus, quam humilis,  
demissus, contemptus, abiectus fuit? quam syn-  
cerus amator humani generis? quam obediens  
patris optimi maximi non modo filius uerum  
etiam seruus? quam non modo patienti, sed etiam  
libenti animo labores, & miseras, & grauissi-  
mam mortem tulit? Ab hac Christi natura  
atque indole sunt alieni, qui impatientes sunt  
disciplina, nedum paupertatis, exilij, iniuriarum,  
qui in his terris, in quibus tanquam castris mi-  
litandum est, laborem & periculum omne sub-  
terfugiunt, uoluntq; prius triumpho & premio  
potiri, quam in arenam descenderint, nedum ui-  
ctores euaserint. Alia uia Christus est in gloriae  
possessionem missus. Alieni sunt etiam a Chri-  
sto, quicumq; ei uocanti non obtemperant, nisi com-  
modissima sit, & arrideat uocatio, quam ipsam  
quoq; potius suo, quam ecclesiae comodo metun-  
tur. Alieni sunt a Christo, qui gregis sibi crediti



DE OFFICIO

uel nulla, uel perexigua cura rāgi solent, ac bis  
 terūe quaq; septimana cōcionari, suo se munere  
 defunctos existimāt: quā peritos, probos, con-  
 stantes habeant auditores susq; deq; ferunt. At  
 quibus esse in pretio, optimatū amicitias ac con-  
 uuiua omnia sectari, inferiores prae se contem-  
 nere, superiores inuidia atq; odio prosequi sco-  
 pus est, eorum animi à Christo maximè sunt a-  
 lieni. Cui enim mortaliū Christus, sua non au-  
 xit potius quā inuidit bona? quem ille non a-  
 more potius quā odio dignū duxit? Perinde  
 uerò à superbia, ab auaritia, ab ambitione, à ca-  
 teris prauis affectibus cauendum nobis arbitre-  
 mur. Religiose uerò cauendum fuerit, ne aliud  
 occultè moliamur, aliud spe et simulatione osten-  
 temus. Quid enim hoc est aliud, quā quod de  
 Anania & de Sapphira diuus Petrus dixit,  
 mētiri spiritui sancto? At q; mentiri spiritui san-  
 cto, & deū, q; cernit omnia, audebit fallere: quat-  
 tō magis audebit homines? Sed in Christi imi-  
 tationem quanto maximo possumus studio in-  
 cumbemus, eiusq; exēplo discemus humiles de-  
 missiq; esse, seruire quā dominari malle: alios  
 admirari potius & colere quā negligere &  
 despiciere: potius ecclesiae quā priuatis commo-  
 dis, su

dis studere, patrem Deum quouis uocantē sequi, nō tam oratione et uerbis praedicare, quā totius animi uiribus amplecti Deum, & omnia malle perpeti quā ab eo desciscere. Has ipsas reliquasq; omnes uirtutes, ut res Deo gratas, hominibus salutare, ad incolunitatem animarum pariter atq; corporum defendendam necessarias, priusquā alijs commendare, & ut eas animis cōplectantur, persuadere Euangelicus praeco uelit: ipse prius acri et intento animo intueatur, animo comprehendat: easq; non solum animo gaudenti ac libenti, uerumetiam omni animi impetu prosequatur ac praestet. Minimeq; mirum uideri cuiquam debet, quōd Apostolus praecōnis Euangelici informationem inde inchoandā arbitratur, unde nominis uitaeq; Christianorum ratio omnis quasi ex fonte deriuatur. Nam quoniam animus, à quo animal dicitur, is est omnino qui uiget, qui sentit, qui meminit, qui prospicit, qui gubernat & moderatur id corpus, cui praest: nemo est opinor, cui nō perspicuum sit, quōd hunc ipsum Deum ceu imperatorē praefecerit corpori, eumq; uoluerit esse per naturam rerum intentum & cōmenatam. Oportet igitur eas ad res totis animis propen-

## DE OFFICIO

deamus, ad quas gerendas destinati uocatiq;  
 sumus. Ac quo difficiliore eæ res, & magis ar-  
 duæ fuerint, quas gerendas suscepimus, eò ma-  
 iore est opus animorum calore & motu. Qua de  
 causa Paulus existimat, cùm omnium difficil-  
 lima res sit, à uitiositate ad uirtutem, à munda-  
 narum uoluptatum illecebris, ad contemplatio-  
 nem & studium gaudiorum cœlestium, à sceleri-  
 bus ad honestas actiones, ab errore ad ueritatē  
 reducere: Euangelici præconis esse, ut ante o-  
 mnes ipse ab his defectibus atq; uitijs sit immu-  
 nis, sitq; ad aliquantam saltem animi profectio-  
 nem prouectus, et sua spontē, quò impellit alios,  
 ipse propendeat atq; inclinēt. Quibus enim argu-  
 mentis, ut ne cui noceamus, ut suum cuique tri-  
 buamus, ut communi utilitati seruiamus, is nos  
 adducet, qui ipse est alienus ab omni iustitia?  
 Quem me delectum bonorum & malorum doce-  
 bit, qui nulla præditus est prudentia? Et nihil  
 extimescere, omnia humana despicere, nihil  
 quod homini propter Christum possit acciderē,  
 intolerandum putare: ab eo quo pacto discam,  
 quem ipsum uideam labores et pericula subter-  
 fugere, doloremq; omnem pertimescere? Eorum  
 autem quæ fiunt, quæq; dicuntur, omnium ordi-  
 nem

nem et modum qui mihi is persuadebit, qui ipse non soleat ullas uoluptates praetermittere, et in quo ipso nulla moderatio cupiditatum uideatur? Et ad ferendum auxilium ijs, qui nullam nobis remunerationis spem praebent, qui nos is adducet, in quo ipso ne bene merendi quidem tanta uoluntas inest? Multo minus ad eum dei cultum, qui sit optimus, idemque sanctissimus et plenissimus pietatis, ut Deum semper pura, integra, incorrupta mente et uoce ueneremur: is quenuquam adduxerit, qui ipse et ab hac religione abhorreat, aut eam saltem quanti par est, minime faciat: et mente sit impura, corrupta, perditissimis cupiditatibus omnibus obnoxia? Qui uero segnis sit et remissus ipse, quo modo alios ad cursum excitabit? Quam uero praedam Christi inuitis canibus assequi poterit? Sed profecto est ita ut uulgus dicit, inutilem esse fontem eum, qui ipse sitiatur, nec quicquam habeat aquarum quod non aliunde importetur. Quemadmodum ergo est bono fonte riuus in uicina prata derivantur: sic ex Euangelici praeconis animo, quasi quodam pietatis et probitatis fonte riuuli, quibus rigentur hominum ingenia, deducantur necesse est. Eiusmodi uero fontes in humanis ani-

## DE OFFICIO

mis scaturire, & inde in alios emanare quæ pos-  
 sint, siquidem mihi liceat in illa similitudine  
 paulò progredi longius, mox ego paucis indica-  
 bo. Quemadmodum igitur illa perennis aqua-  
 rum copia fontibus omnibus inde adeò existit,  
 quod densus aër, qui cauis terræ specubus inest,  
 in aquam ex terrestri frigore conuersus, ubi ca-  
 uernam eam totam repleuerit, inde tandem u-  
 berius erumpit, & iugi quadam ui sua diuini-  
 tus accepta, perpetuas aquas præbet. Sic spiri-  
 tus sanctus humanis animis infusus, ubi illos  
 totos expleuerit, cogitationes, uoluntates, uo-  
 ces, actiones sui similes inde emittit. Sed quem-  
 admodum gelidæ illæ perennitates aquarum  
 nõ in imis & depressis locis, uerùm in altis mon-  
 tibus, in quibus illæ cauernarum concauæ alti-  
 tudines præcipuè existunt, oriri solent: sic illæ  
 dictorum & factorum salubritum scaturigines  
 non in humi repentibus & torpentibus, sed in  
 excelsis animis, in quibus terrenarum curarum  
 & uiciorum minimum inest, oriri maxime so-  
 lent. Ergo ut celestium rerum noticia ac delecta-  
 tione repleamur: certè à terrenis curis atq; ui-  
 tijs liberi immunesq; simus necesse est. Alias  
 enim quis locus esse religioni, iustitiæ, fortitu-  
 dini,

dini, continentia, ipsi deniq, Deo potest: ubi suam  
 sibi sedem fixere superstitio, iniquitas, ignavia,  
 luxuria, ipse deniq, cum uniuerso mudo satan?  
 Quid enim, ut ait Apostolus alibi, Christo cum  
 Belial? quid luci cum tenebris? Statuendum  
 est igitur, ut praecclare Philo monuit, propheta-  
 rum maiorem esse dignitatem, quam ut rebus  
 mundanis se ingerere, aut mundi ciuium statu  
 nomenq, ambire debeant: quin oportere eos su-  
 pra caducas res illas omnes efferi, quasiq, in  
 caelis ipsis animos collocare. Dicit etiam pro-  
 phetam esse Dei interpretem atq, internunciu:  
 & arcano instinctu afflatuq, Dei mentem eius  
 intus habitantis & mouentis, uerba diuina fun-  
 dere. Idē deinceps, quasi in admirationē rei ra-  
 ptus exclamat: Σπῆδαζον οὐδὲν ἄλλο ἢ ἵνα  
 οἶκος γένηται ἱερόν ἅγιον, id est, Des operam, o  
 anima, ut Dei domicilium sacrosanctum fias.  
 Cui sententia Christus pariter et Apostoli asti-  
 pulantur. Christus quidem eo ipso quod Apo-  
 stolis dicit: Non uos estis illi loquentes, sed spi-  
 ritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Pau-  
 lus autem, quando scribit, spiritum sanctum in  
 nobis nostrae salutis teste agere, in nobis deum  
 patrem inuocare, in nobis quae Christiani sunt

DE OFFICIO

hominis agere omnia. Atq; hoc spiritu repletos animos nec fides, quæ spes opesq; omnes in Deo positas habet, estq; optimarum actionum atque uocum omnium parens & procreatrix: nec charitatis hominibus debita officia, nec studiū rerum diuinarum atq; cælestium unquam deficient, sed ex ijs ea copia sanctissimarum actionū atq; uocum promanabit, qua multa ingera pratorum, id est, multæ centuriæ mortaliū possint irrigari. Eiusmodi sanè Iosephi illius, qui in Aegyptū à suis ipsius fratribus uenditus fuerat, uirtus erat: quæ uidelicet maiore non Aegyptijs modò, uerum etiam finitimis gentibus omnibus fecunditatē ubertatemq; rerū, quàm Nilus unquam potuit asferre. Eiusdem spiritus afflatu Moses benignus erga bonos, seuerus & grauis in sceleratos: laborum & dolorū & periculorum omnium contemptor, & in gentem patriam adeò pius fuit, ut è libro uitæ se deleri, quàm ipsam funditus extirpari maluerit: tum ueritatis adeò diligens indagator fuit, ut sine cibo & potu, in monte Sina quadraginta continuos dies accipiendis diuinis legibus impenderit. Et Danielis animo quasi perenni industriæ fonte id effluxit, ut eum Deus ipse uirum desi-

desideriorum, id est, inexplebili cognoscendi studio redundantem appellarit. Paulus etiam noster tam plenus in gentem patriam pietatis fuit, ut se pro eius incolumitate deuoueri uoluerit. Dauidis, Heliae, Ieremiae, Ezrae, Ioannis Baptistae, Ioannis Euangelistae, Petri, Iacobi, aliorum studia quis omnia commemoret? Egregie uero quid praestare syncerus & Christi spiritu repletus, deoq; probatus animus possit, exemplo cuiusdam senis probi atq; simplicis demonstrari potest. Is, ut Ruffinus auctor est, nihil nisi Christum & eum ipsum quidem crucifixum cognitum habens, quem reliqui bene docti & exercitati uiri, disputando superare minime poterant, dialecticum acutissimum, nuda ac simplici ueritatis enunciatione facile repressit, & ad id adegit, ut & fateretur se uirtute diuini sermonis superatum, & aqua sacra tinctum in Christianorum numerum se referri postularet. Quantum autem momenti ad officium praeconis Euangelici, uis animi possit afferre, Apostolorum exemplo facile ostendi potest: quando eos Dominus prius non emisit praedicatum Euangelium, quam spiritu suo sancto eorum animos imbuisset. Eodem pertinet, quod Dominus apud Matthaeum dicit:



DE OFFICIO

Lucerna corporis est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totū corpus tuū lucidū erit. Quòd si oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebrosū erit. Ergo si lumē quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Quid potuit dici clarius? Animus habet, ut ita dicam, in homine merum imperium, estq; loco lucis. Is, si curis inanibus confectus, rerum caducarū illecebris dementatus, ignoratione rerū obfuscat, segnitie & inertia depressus & deperditus fuerit, quid corpori humano salis est & ueræ sapientiae reliquum? Ideò uerò Phariseos etiam, quod præ se ferrent, quam haberent nullā pietatem: sepulchrorum similes, lupos ouium pellibus tectos, itemq; cæcorum cæcos duces esse dicitur. Eosdem etiam dicit, nihil apud Deum uerbis efficere, cū sint animis ab eo remotis: idq; Esaia testimonio probat. Sed & hilarem datorem diligit Deus. His alijsq; multis quæ silentio prætereo, diuinis testimonijs, si quæ nobis Aristoteles in Rhetoricis ad Theodectē libris, de optimo genere consultorum: quæ de probandis animis in Gorgia suo Plato: quæ Cicero de conciliandis animis prudentissime atq; optime scripserūt, possem in hac angustia temporis commemorare,

memorare, perspicuū fieret, quæ de concionato-  
ris animo informando & probando Paulus hoc  
loco tradit, ea cum hominum sapientissimorum  
omnium animis quasi diuinitus ingenita: tum  
posita ante oculos omnium hominum atq; in usu  
quotidiano. Nos igitur, q; prædicandi euangelij  
munere probè fungi uolumus, ad illam diuinā  
simplicitatem, sinceritatem, bonitatem, quam  
εὐλιχέως & ἀγκύσιαν Græci, Hebræi אֵת,  
id est, integritatem appellant: cui quicquid est  
simulatum, fucatum, falsum, iniquum, prauū  
opponitur: toti cōformemur necesse est. Quod si  
consecuti simus, spes est minime dubia, fore: ut  
omnis cura ac cogitatio nostra, omnis ars &  
scientia nostra, omnis actio & oratio nostra,  
omne denique studium & institutum nostrum,  
in Christo domino placere optimo maximo pa-  
tri, prodesse hominū generi, maximo nobis ipsis  
& ornamento & ad arduum munus illud ad-  
iumento esse possint.

Intelligo patres & fratres, me plura de  
probatione animi dixisse, quàm aut uestra opinio  
tulerit, aut uoluntas mea: sed hoc compensabo  
breuitate eius orationis, quæ pertinet ad pro-  
bationem uitæ & actionum. Hanc enim Pau-

DE OFFICIO

lus, cum requirat ἐργάτην ἀνεπαρίχλωτον,  
 duobus uerbis omnem comprehendit: eoq̄ ipso  
 primum quid, tum quo modo sit agendum, osten-  
 dit. Et ut de rebus agendis constet, euangeli-  
 cum præconem, uult ἐργάτην quendam, id est,  
 hominem operarium, & laboriosum, & semper  
 aliquid agentem esse. Ac quoniam ἐργον ab  
 ἔργα καὶ γῆς, id est, terra: & τὸ ἐργάσεισθαι,  
 quemadmodum scribit Eustathius, τὸ γεοργεῖν  
 καὶ ποιεῖσθαι κατ' ἔξοχον, id est, tellurem co-  
 lere præcipuè: itemq̄, ἔργα apud Xenophontē,  
 segetes pariter ac arua: deniq̄, ἐργον officium, &  
 ἐργον ποιεῖσθαι aliquid studiose diligenterque  
 facere, significant: sanè ἐργάτης, id est, operarij  
 nomen ei, qui in agri uineaq̄ dei cultura suam  
 operam ponit, optimè accommodatur: præsertim  
 cum is etiam alibi agricolæ, & sementem fa-  
 cientis similis esse uideatur. Neq̄ uero absurda  
 comparatio illa uideri potest, si consideretur,  
 quantum iura antiqua tribuerint agricolarū  
 simplicitati & integritati, quam in illo opera-  
 rio requirit Apostolus summam ac propè sin-  
 gularem: quodq̄ Dominus Christus non est ue-  
 ritus ipsum patrem omnipotentem cum agrico-  
 la comparare: quod deniq̄ mentibus humanis  
 perinde

perinde atq; agris, ut fructus uberiores ferant, cultura debeatur. Igitur operarium quendam nobis Paulus praekonem euangelicum facit: qui sibi in illa agricultura sancta quantum potest operæ temporisq; consumendum arbitretur. Iam ut res, persona, locus, tempusq; tulerint, ita sunt operæ multæ & uariæ: ut sacra & ciuiles: ut heriles & seruiles: ut forenses & familiales: ut diurnæ & annuæ: ut aliæ: quis enim omnia genera commemoret? Ipse quoque Paulus aliud Dei, aliud diaboli: aliud fidei & aliud legis: rursus aliud carnis, tenebrarum aliud opus appellat. Hoc autem loco operas eas dicit, quibus Euangelicus præco detinetur: quarum aliæ priuatæ sunt, publicæ aliæ. Priuatæ erunt, quæ primum ad illum ipsum separatim, tum ad eius familiam, postremo ad conuictum humanum spectant. Vbi quid ei solitario & ab oculis populi remoto, quid in familia, quid in conuiujs, quid in conuentibus hominum facto opus sit, indicatur. Cum ergo se de turba, & à suggestu in ocium solitudinemq; contulerit, legendo, scribendo, meditando, Deum precando tempus omne sibi consumendum iudicabit. Lectione enim rerum tradendarum notitiam,

DE OFFICIO

scriptione usum facultatemq; dicendi, medita-  
 tione rerum abditarum intelligentiam, preci-  
 bus cum hæc omnia, tum magnū animo robur,  
 & incredibilem apud homines auctoritatem  
 diuinitus impetrabit. Nam & sapientiam So-  
 lomon atq; Daniel: & robur animorum Apo-  
 stoli contemnendis Iudæorum minis: & autho-  
 ritatem Moses, Helias, omnes precatione ad  
 Deum facta consecuti sunt. Et illæ operæ quid  
 sunt aliud, quàm secreta ac sancta cum Deo  
 colloquia, quibus ille nos legentes dignatur, nos  
 eum precantes ueneramur? Iam si principes  
 in ciuitate quaq; uiri, quò suis legibus atq; iusti-  
 bus eò maiorem conciliarent auctoritatem &  
 has diuinitus sibi infusas, & cum Dijs suis ha-  
 bere se commercia simularunt: cur nos qui cæle-  
 stem hanc doctrinam proponimus, ut ea quanti-  
 decet atq; expedit, fiat: non ambiremus hæc sa-  
 cro sancta Dei, prophetarū, Apostolorum, ipsius  
 Christi domini cōmercia? Ac si Numa Pom-  
 pilius arcanos cū Aegeria nympha congressus:  
 si Scipio Aphricanus secreta cum Ioue Capito-  
 lino colloquia: si Pisistratus arctam cum Mi-  
 nerua consuetudinem: si Lycurgus sacra cum  
 Apolline commercia: si multi nostra patrumq;  
 memoria

memoria monachi nescio quæ diuina uisa, præ  
 se tulere: quanto magis nos enitemur, ut uel in-  
 tenti in prophetarum & Apostolorum lectione,  
 uel in religiosum cum Christo colloquium rapti  
 inueniamur? Familiam autem ut officio non  
 indignam habeat: erunt uxor unica: liberi tra-  
 stabiles, ministri bene instituti, rei suæ familia-  
 ris administratio, neq; præparca atq; sordida,  
 neq; nimis lauta atq; sumptuosa. Qui enim, in-  
 quit Apostolus, propriae domui præesse non no-  
 uerit, quomodo ecclesiam Dei curabit? In con-  
 uictu humano, ut exemplum disciplinae, & san-  
 ctæ sinceræq; amicitiae, & constantis in Deum  
 fidei simus: uehementer etiam atq; etiam est eni-  
 tendum. Cum ergo Paulus, ipsaq; etiam sacræ  
 literæ præconem euangelicum, neq; à recto mo-  
 deratoq; sui ipsius cultu, neq; à matrimonio res-  
 tãq; rei familiaris cura, neq; à societate huma-  
 na seuocent: ualeant, qui monachos simulant &  
 Bacchanalia uiuunt: ualeant homines fanatici,  
 qui relictis coniugibus atq; liberis errare uagi,  
 & omnibus oneri quàm cuiq; emolumento esse  
 malunt: ualeant sacrifici, qui contra ac pudor  
 & honestas suadent, meretrices malunt quàm  
 matronas alere. Quos ipsos hoc peiores esse di-

## DE OFFICIO

*xeris, quod cum suis ipsorum legibus cōdemnen-  
 tur aliunde quæsito nomine iusto scilicet & spe-  
 cioso, tegunt ac uelant libidinem atq; impuden-  
 tiam suam. Nam quemadmodum Panormita-  
 tanus in ca. uestra, de cohā cler. & mul. ex  
 Lucij Papæ sententia scribit, ut concubinatum  
 suum tueantur, non notorium sed occultum cri-  
 men, quod tolerari possit, appellant. Quam ex-  
 ceptionem cum Apostolicis, quorum errorem  
 confutauit Epiphanius, communem habent:  
 qui ipsi quoq; in hominum conspectu castitatem  
 profitebantur, occulta uerò scortatione Deum  
 offendebant. Honestior uerò sit oportet, & per  
 inde ad numinis atq; ad hominum reuerentiam  
 instituta, quam euangelicus præco degit, uita.  
 Earum autē quæ publicæ sunt operarum eius,  
 prima est docere: qua sacra conciones, & quam  
 catechesim uocant, institutio rudium & libe-  
 rorum continentur: proxima sacramentorum  
 administratio: tertia publicarum precum usus:  
 quarta cura ægrorum atq; pauperum. Quò con-  
 solationis cohortationis, castigationis, interpre-  
 tationis ratio omnis: itemq; publicarum opum  
 conquisitio, distributioq;: tum morū disciplina:  
 quæ omnia cum mandato institutoq; Christi,  
cum*

PRAECONIS EVANG. 14

tum exemplis præceptisq; Apostolorum diuinitus inuenta atq; instituta sunt, referentur. Hæc administrare & conseruare, quoniam magnæ molis est: modo onus, modo opus: hic ἐργον, quod olim etiam τὸ δύσκολον, id est, difficile quiddam atq; arduum significabat, appellatur. Iam si difficilia, quæ pulchra sunt, qui isthæc præstiterit, uirtutis laudē nomenq; feret. Sed quoniã uirtus omnis, quemadmodũ priscis Academicis placuit, est mediocritas: & hæc mediũ habet inter duo uitia locum: quorum alterum eo quod superat, rursus eo quod parum est, alterum cernitur: quam noster hic ἐργάτης, mediam teneat uiam minime erit tacitum prætereundum. Ac quoniam ex ijs quæ dicta sunt, perspici potuit, regri quæ sunt huius officij, uel prorsus omnia, uel pleraq;, uel maximè necessaria: qui necessaria negligit, is ne satis quidē: qui contrã alienis ab officio suo curis sese grauat, is nimium quiddam facit. Inde uitia utrinq; existũt duo: hinc, deesse officio: illinc, officij finibus excedere: quorum alterum socordiam atq; negligentia: alterum curiositatē, & Græcè quidem, πολυπραγμοσύνην, appellamus. Equidem propter desidiam ac laborũ metum uelle in ocio uiuere: est



## DE OFFICIO

non solum à uoluntate Dei, uerum etiã ab opti-  
 mi cuiusq; ingenio, atq; ab ipsa rerum natura  
 alienũ. Segnitiem enim & inertiam Deo displi-  
 cere, ex multis eius iudicijs, & exẽplis constat:  
 eandem optimo cuiq; probrosam uideri nemo  
 nescit: in ipsa autem rerum natura, quid cerni-  
 mus segne & ociosum? Pudendum uero foret,  
 præconem Euangelicum, à Scipione maiore, à  
 Catone utroq;, ab Alexandro Magno, à Iulio  
 Cesare, ab Octauio Augusto, à Plinio Veronen-  
 si, alijsq;, multis à nostra fide & professione alie-  
 nis hominib. legendi studio industriaq; superari.  
 Igitur ut operarij nomẽ tueatur, ab ociosis de-  
 ambulationibus, à conuiujs & comotationib.  
 à nimio somno, ad lectionis, scriptiois, medita-  
 tionis, precationis studia sua se conuertet. Rur-  
 sus in artibus dicendi, in liberalibus disciplinis,  
 in cõtemplatione rerum naturæ, in iuris ciuilib.  
 scientia consenescere: aut quod ad hoc officium  
 momenti minus affert, uel aucupio, uel piscatio-  
 ne, uel etiam uenatione tempus omne consume-  
 re, perinde est in uitio. Medicinã uero facere,  
 cũ magnæ sit facultatis opus, ac postulet, ut non  
 modo uariarum rerum uires, uerum etiam con-  
 suetudo ualentis, ac natura corporis eius, cuius  
 morbo

morbo mederi uelis, exploratè cognita habeantur, itidem est alienum à nostro officio. Nostrum enim est potius afflictæ ecclesiæ mederi, et execrare superstitiones, errores, scelera, tãquàm strumas: ac singulis hominibus medicinã institutionis, cohortationis, consolationis suæ, si quam possint afferre. Quãtò sit illiberalius & ab officio nostro alienius, quorumuis hominum contractibus & transactionibus, & litibus forensibus sese ingerere: id argumento fuerit, quod Apostoli pauperum cura, cuius tamen ad eos aliqua pars spectabat, Euangelij prædicandi munus impediri noluerunt. Sin quantum omnibus huius officij partibus temporis debeat, recte reputemus, perspicuum fiet, uix satis ad capiendum cibum atq; somnum, & ad necessarias recreationes temporis superesse: minimeq; nobis quod Aristophanes de Cleone dixit, ponendum pedem alterum in castris, alterum in concione. Media uerò uia sese continebit, ac neq; segnis & ociosus erit, neq; alienis ab officio suo rebus operam dabit, quisquis operarij Dei nomen obtinere uelit. Quem quidem modum Paulus etiam eo ipso plenius exprimit, quod eum ἐργάτω ἀνταίχνητον, id est, ut pleriq;

DE OFFICIO

reddunt, non erubescendum requirit. Eam uocem constat  $\pi\alpha\epsilon\alpha\ \tau\eta\varsigma\ \alpha\iota\chi\eta\nu\eta\varsigma$ , id est à pudore seu infamia deriuari. Intelligendum est autē, inter uerecundiam & pudorem, apud Gracos non parum interesse. Etenim  $\alpha\iota\chi\lambda\omega\nu$ , quemadmodū ait Aristoxenes, ἐπὶ τοῖς νομικοῖς  $\alpha\iota\chi\gammaοῖς$ , id est, ob res quæ uidentur turpes & nobis indignæ, oboritur. Αἰδώς autem est, quæ Latinis uerecundia dicitur, custos, ut inquit Cicero, omnium uirtutum, dedecus fugiens, laudemq̄, maximè consequens, uirginum propria. Vnde  $\alpha\iota\chi\lambda\omega\nu\ \phi\acute{o}\beta\omicron\nu\ \delta\iota\alpha\iota\epsilon\iota\varsigma\ \lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma$ , id est, iustæ reprehensionis metum: αἰδῶ uerò  $\phi\acute{o}\beta\omicron\nu\ \tau\eta\varsigma\ \alpha\delta\omicron\zeta\iota\alpha\varsigma$ , id est, euitationem dedecoris philosophi definiunt. Hoc ergo nomine, quod à metu ignominie merita deriuatur, usus Apostolus, ostendit ab operario illo postulari, primum ut eum Christi minime pudeat: tum ut eum se præstet, cuius nec pudere Christū oporteat, sed cum eo in amicitie fœdus adeò arctum coierit, ut neutrum alterius pigeat ac pudeat. In Christo uerò quid est, cuius nos pudere possit? an eius doctrinam tua celsitudine inferiorem existimas? Non agitur quidem de Senatusconsultis & constitutionibus principum, aut de iure persona-

personarum, aut de modis res acquirendi & amittendi, uel de pactis & obligationibus, de actionibus & exceptionibus, de priuilegijs & iuris beneficijs: sed de iure diuino, de modo summum bonum acquirendi & amittendi, de isto inter Deum & homines fœdere, de libertate Christiana & uita sempiterna. Non agitur de constitutione & natura corporis humani, de causis & remedijs morborū, de tuenda bona ualitudine: sed de causis & remedijs humanæ miseriæ, de tuenda animorum pariter atq; corporū sanitate. Sed quis huamnas res illas, cū his diuinis nostris omnes comparet? Quantò præstat conditor rebus abs se procreatis, tantò maiores sunt res quas theologia tractat, humanis negotijs. Ergo si illam rerum diuinarum scientiam te indignam existimes, omnes artes præ te contemnas necesse est. Sed forsasse pudet officij: ac malles eriscundæ familiæ, quàm agrorum atq; pauperum curæ uacare. At Christus eos, qui sibi id officium ab ipso præstari postularant, respulit, ac dixit: Quis me constituit uobis iudicē? & quid? an non qui pauperibus opē tulerit, Cereere præstat & Baccho? an nō est homo homini deus? Sed malles fortasse ius in foro dicere,

DE OFFICIO

quàm in ecclesia de Deo uerba facere? At Chrò-  
 stus non iudicibus modò, uerùm ipsis etiam re-  
 gibus te præfecit monitorē. an parui pendis istū  
 tibi tributum tam excelsum locum? & quo te  
 loco tandem collocandum censes? Quod tamen  
 in eam sententiã accipi minime uelim, in quam  
 à Bonifacio VIII. in Ex<sup>u</sup>. de maior. & obed.  
 ca. Vnam sanctam. detortum legimus. Ille fer-  
 tur ut uulpes in ecclesiã intrasse, ut leo regnasse,  
 ut canis mortē obiisse. Euangelici præconis est,  
 sibi perparum, officio suo plurimum tribuere,  
 idq; sibi minimè p̄brosū existimare. Sed mor-  
 bi intercutis, aut quartanæ febris, aut tabis  
 curam maiori futuram laudi censeat aliquis?  
 at auaritia, æstu libidinis, desperatione leuare  
 hominis animum multò maioris est operæ. Sed  
 cum serui, internuncij, legati omnipotentis dei  
 simus, non est quòd nos huius officij pudeat.  
 Quid ergo? an nos pudet Christi afflictæq; eius  
 ecclesiæ? fuit enim, quandiu in his terris uitam  
 egit, pauper, contemptus, abiectus, deniq; in cru-  
 cem actus, & quid non passus? sic sanè; idq; no-  
 stro merito: sed quid tum postea? Nulli ne alij  
 ad egestatē sunt redacti reges? Quid ergo Cræ-  
 so Lydorum regi ditissimo? quid Sicilia tyrann  
 ro Dio

no Dionysio tam truculento tamq̄, terribili?  
 quid Amasi Aegyptio? quid alijs præter opi-  
 nionem accidit inuitis? Nulli ne conuitijs atq̄,  
 cõtumelijs sunt petiti reges? Quid ergo est quòd  
 Semeius Dauidem uirum sanguinũ appellat?  
 Quid quòd in Casarem Iulium uirulentus Au-  
 li Cecinnae liber, Pitholai contumeliosa carmi-  
 na, C. Memmij asperrimæ orationes, C. Calui  
 famosa Epigrammata, Valerij Catulli uersus  
 mordacissimi extiterunt? Quid quòd Demo-  
 sthenes Magnum illum Alexandrum, ausus  
 est *μωπύστην*, id est, ut Suidas indicat, insignẽ  
 fatuum appellare? Sed fortasse Christi crux of-  
 fenderit? Offendat potius, quòd Valerianus  
 Imperator captus Saporì Persarum regi, quo-  
 ties is equum conscēderet, dorsum scabelli uice  
 substernere necesse habuit; quòd Polycrates  
 Samiorum rex à Cyri præfecto captus & su-  
 spensus est: quòd Pontificum Romanorũ alij in  
 exilio, alij in carcere pìere, quòd Mithridates  
 rex Ponti, qui sepe magnam populo Romano  
 cladẽ attulerat, & Asia potitus erat: primũ  
 à Lucullo, dein à Pompeio superatus, tandem  
 de seipso supplicium sumpsit. Illis enim de regno  
 & gloria certamen fuit: Christus regna mun-

DE OFFICIO

dana fugit, ac respuit, hæcque libenter omnia, ut nobis opem ferret, perpeffus est. Is enim si repræsentare magnitudinem & splendorem maiestatis, & gloriæ, & potentia suæ: si quæcumque habet ostentare & occupare imperium uoluiffet: quid ei quæso factò opus fuisse existimatis? quæ quæso finita ac terminis suis circumscripta natura suū ipsius immensum opificem & parentem & procreatorem comprehendiffet? quæ quæso opes sunt uspiam, quarum ille non unus fons sit & origo? quas ei copias? quos exercitus? quod denique regnum assignandum iudicatis? Israëlitiū fortasse, cuius illustrissima tribu natus est, Iudæi ipsi tributum uellent: at illo ipso Cyrus, qui illius quasi quidam typus fuit: & Alexander Magnus, qui gentē Iudæam coluit, & beneficijs affecit: & Augustus, quo tenente imperiū ultimum & maximum natus est: regna multo maiora multoque ampliora habuiffent. Illorum autem ipsorum quæ tandē fuit potentia? Cyrus quidem Medos, Babylonios, Lydos, aliosque populos domuerat: Alexander Magnus Græcia, & Asia, & totius orbis terrarum parte maxima potitus fuerat: Augustus totius orbis imperium & acquisiuerat, & tranquillum pacatumque

tumq; obrinuerat: Christus autem solus, nudus, inermis regnū suum inuasit & occupauit: morbos, famem, sitim, demones, mortem expugnauit: in terras, aquas, aerem, uentos, ignes, caelos ipsos imperiū habuit. Et quam huic parem scitis aut meministis uisam auditam uel potentiā? Quod uerò Christus in pauperie & in arumnis molestijsq; uitæ humanæ aliquantisper egit, id amoris erga nos sui, & nos ipsos consolandi, docendi, subleuandi causa fecisse uideri debet. Nam si gloriam suam ostentasset, quis ad eum obscuris & inglorijs relictus aditus esset? si diuitiæ eius uisæ fuissent, quantò magis auri sacra fames mortalia pectora domuisset? si regnā illa quæ quantaq; habet sibi uendicasset, quantò maiore dominādi libidine reges eius exēplo accensi essent? Ac si illius humilis & demissi & abiecti Christi, qui superbissimi & utriusq; gladij domini sunt, uicarij uideri uolunt: quid obsecro si suas opes atq; uires ostentando Christus eis ansam quandam ad hunc fastū atq; ambitū præbuisse uideri posset, facturos fuisse creditis? Existimandum est igitur, Christum, ut potentissimum se miraculis editis, ita benignissimum ac mitissimum illo demisso abiectoq; uitæ statu



DE OFFICIO

demonstrare uoluisse: nosq; oportere eo ipso non  
 modò nō offendi, sed omnes etiā homines ad eius  
 imitationem exhortari. Quòd uerò malis iss-  
 dem pleriq; eius serui hodieq; etiam premuntur,  
 id ab aliorum principum seruis nō est alienum.  
 Quid enim laborum et periculorum Belisarius  
 Iustiniani Cæsaris causa subiit atq; pertulit?  
 quamq; ille ei gratiam retulit? Vbi Vandalos  
 deleuisset, de Parthis triumphasset, urbem se-  
 penumero à barbarorum incursionibus libera-  
 set: tandem ei, mandato imperatoris, ut fertur,  
 oculis orbato in uia publica mēdicandum fuit.  
 Quantò præstat seruire Christo, q; sua causa pa-  
 tientibus aliquid mali, cum spiritum sanctum  
 paracletū mittit, tū uerò largitur præmia sem-  
 piterna. Cogitandum est etiam, quòd ipse dicit:  
 Quemcunq; mei meorūq; sermonū puduerit, in  
 generatione hac adultera et peccatrice, pudebit  
 illius & filiū hominis, ubi uenerit in gloria pa-  
 tris sui, cum angelis sanctis. Desipiunt igitur et  
 in ipsum Christū grauiter peccant, qui malunt,  
 ut diui Pauli uerbis utar, accommodare sese ad  
 figuram huius seculi, & mercatoris, aut caupo-  
 nis, aut stabularij potius quàm præconis Euan-  
 gelici habitum referre. Quātò melius & rectius  
 Mar-

Martialis? Quod sis, esse uelis, nihilq; malis.  
 Inprimisq; cogitandum nobis est illud, quod  
 Dominus, & quo in loco res seruorū suorum in  
 his terris degentium futurae essent, ingenuè præ  
 dixit: eosq; abs se, qui nidos sibi illo ipso officij  
 genere quærere constituerant, repulit: & has æ-  
 rumnas miserasq; sua causa fortiter perferenti  
 bus, præmia promisit immensa eaq; ipsa sempi-  
 terna. Quorū alterū ex eo perspicui potest, quod  
 apud Mattheum dicit: Ecce ego mitto uos ue- Matth. 10.  
 lut oues in medio luporum: tum, eritis odio ha-  
 biti omnibus propter nomen meū. Alterum no- Matth. 5.  
 bis eius ipsius indicant illæ promissiones: Beati  
 estis cum probra iecerint in uos, & insectati fue-  
 rint & dixerint omne malū uerbum aduersum  
 uos mentientes propter nomen meum. Gaudete  
 & exultate quoniam merces uestra multa est  
 in cælis. Estq; illud inprimis obseruatu dignū,  
 quod etiam exemplo prophetarū, quibus idem  
 usu uenerit, nos consolatur. Sed quoniā hæ ipsæ  
 miseriæ molestiaq; omnes, cum breues sunt &  
 momentaneæ, tum nobis cum omni hominum  
 genere, & sanctissimis hominibus Christoq; ipso  
 maxime cōmunes: habeantq; letum & beatum  
 finem: eas sanè qui recto pondere momentoq;

DE OFFICIO

metiri sciuerit, is ipsarum uitandarum gratia  
 suam Christo operam locare minime detrecta-  
 bit. Vbi enim esset illud ipsum, quod in Christi  
 seruo requiri diximus animorū robur? Sane si  
 corpus incolume et beatum existimamus illud,  
 quod laborum, & dolorum, & æstus omnis atq;  
 frigoris patientissimum cernimus: quanto bea-  
 tior animus erit ille, qui quo minus officium fa-  
 ciat, neq; bonis & delirijs ullis emolliri, neq; mi-  
 nis atq; malis frangi potest? Sed quid ijs isthæc  
 commemoro, qui illo ipso nempe afflicto & de-  
 misso rerum Christianarū statu non solum ipsi  
 non offendi, sed omnes etiā homines ne eo offen-  
 dantur, instruere & edocere debent? Quid uer-  
 bis opus est? quibus non satis facit quod Di-  
 uis Paulus Romanis scribens dicit: Non  
 me pudet euangelij Christi: Potentia siqui-  
 dem est Dei ad salutem omni credenti: ei satis  
 erit illud Christi ipsius dictum uice clausula  
 adiecisse: Et beatus est quicumq; nō fuerit offen-  
 sus per me. Quæ cum ita sint, non est quod nos  
 uel doctrinæ, quam profitemur: uel officij, quo  
 fungimur: uel Christi, cui locamus operam: sepe  
 pudeat, seu pœniteat: præsertim cum hoc officium  
 & cum uiris præstantissimis, & cum illo ipso  
 domino

Rom. 1.

domino cōmune habeamus. Sed quemadmodū  
 ne pudendus ille nostros animos subeat pudor,  
 etiam atq; etiam uehementer est cauendum: sic  
 ne tales simus, quorū Christū pudere oporteat,  
 perinde est prospiciendum. Id autem, si quicquid  
 est iniustum, turpe, nefarium, impium, aduersa-  
 rium Christi moribus & legibus, indignum of-  
 ficio & maiestate Christi, fugiamus, non diffi-  
 cile fuerit consequi. In quam sententiā Paulus  
 alibi scribit: episcopo, ne sit ebrietati deditus,  
 percussor, turpis lucri cupidus, aut quocunq; sce-  
 lere alio infamis, quāto opere queat, enitendum.  
 Quod eo maiore nobis est diligentia cauendū,  
 quod eiusmodi prauis & impuris moribus, cum  
 salus hominū, quam Christus unice quærit atq;  
 experit, impeditur: tum uero Christi nomen, cui  
 præ- ando destinati sumus, pessimè audit. At  
 Christus graues pœnas minatur ijs, qui imbecil-  
 lium eius asseclarum salutem offensione qua-  
 cunq; remoratur. Et ut in patrem iniurius est,  
 qui tetro aliquo scelere maculam eius nomini  
 asperserit: sic in Christum grauiter peccat, qui  
 perinde ac si satanae seruus esset, ita proteruè  
 atq; impudenter in omni scelerū genere uitam  
 agit. Cauendum est etiam ne tardi in officio rō

Matth. 18.

DE OFFICIO

missiſſiſſimus: neſſe terrenis rebus & illecebris  
 magis inhiemus quàm celestibus. Dicit enim  
 Dominus, Qui manu admota aratro respexe-  
 rit, non est me dignus. Et, Qui patrẽ plusquam  
 me amauerit, nõ est me dignus. In eam uero cu-  
 ram ac cogitationẽ prorsus est nobis incumben-  
 dum, ut quæ aliena ab officio Christianorũ ho-  
 minum esse, ex sententia Christi publice docue-  
 rimus, ea nos ipsos multò magis dedecere existi-  
 memus. Quò fiet, ut nihil indignũ Christo, hocq̃  
 etiam officio committamus. Et hoc studium si  
 nobis ad eam diligentiam, quam adhiberi ge-  
 rendis negotijs Christi par est, accesserit: bona  
 spes est, nos quales Paulus hic requirit, Christo  
 non modo planè deditos, uerum etiam honestos  
 & decoros operarios fore.

Satis mihi multa uerba fecisse uideor: quo  
 animo præditus esse, & quibus rebus nego-  
 tijsq̃ studere debeat, qui prædicandi euangelij  
 munere cõmode & præclare fungi uelit. Restat  
 ut de prædicationis optimo genere, quid præci-  
 piat Apostolus, paucis indicemus. Quemadmo-  
 dum igitur Apostolus, quæ sint Euangelici præ-  
 conis operæ, tum earum tribuendarum quæ sit  
 optima ratio, modo commonstrauit: sic in hac  
 illius

Luc. 9.  
 Matth. 10.

illius officij parte, conuerso ordine, primum quo  
 modo, deinceps quid docendum sit, praescribit.  
 Illum ergo optimū praeconij euangelici modum,  
 uno recte secandi uerbo, quod ὀρθοτομεῖν Grae-  
 cis dici solet, repraesentat. At secādi ratio à cor-  
 poribus, quae secari & diuidi in partes possunt,  
 translata uiderur ad res causasq̄, omnes, quae  
 docendi gratia diuiduntur in genera, & in for-  
 mas, quaeq̄, certis quibusdam distribuuntur tem-  
 poribus atq̄, locis. Secantur autē & distribuun-  
 tur cibi: itemq̄, ligna ac lapides, & quaecunq̄, ser-  
 uiunt usibus humanis alia. Quemadmodū ergo,  
 qui cibis distribuendis praest, arte quaeq̄, secat,  
 & propinat suam cuiq̄, portionem: sic qui para-  
 tum animabus cibum proponit, rectam quoq̄, in  
 eo rationem diuidendi atq̄, offerendi seruet, ne-  
 cesse est. Et quemadmodū lapidicinæ magister,  
 ut arte lapides excidantur, & aptentur alijs  
 alijs, dat operam: sic id agit euangelicus prae-  
 con, ut homines arte perpoliantur, & aptentur sibi  
 ipsis simul ac summo lapidi, cui imponuntur  
 Christo. In quo nobis illud est imprimis cogitan-  
 dum, non humanum quicquam nos sed diuini-  
 tus acceptum mandatum hominibus asserre:  
 idq̄, ut recte, ut apte, ut tēpestiue, ut in loco tra-

## DE OFFICIO

Etetur: opus esse iudicio, & certa quadam eaq; acci-  
 piunt hominum, itemq; locorum atq; temporum con-  
 sideratione. Cum enim qui mandat, omnium sit  
 rerum conditor, & gubernator, & conseruator:  
 sane ut ei de suo iure & imperio nil decedat: ut  
 ei de sua maiestate & existimatione nihil dimi-  
 nuatur: ut eius uoluntati minime repugnetur,  
 euangelicus præco providebit. Quod ut apud ho-  
 mines obtineat: q̄ bonus & misericors, quàm  
 iustus & uerax, quàm prouidus & omnipotens  
 sit hic Deus, studiose diligenterq; indicabit: illud  
 deniq; edicet, quod præclare scriptum est à Lactan-  
 tio, eum non posse rationem hominis obtinere, qui  
 parentem animæ suæ Deum nescit: quod est  
 summum nefas. Hinc enim est procliuis & ad-  
 cultum deorum alienorum, & ad malitiam omnem  
 gradus. Est igitur Dei, cuius hæc doctrina man-  
 dato institutoq; assertur, ratio semp retinenda.  
 Mandati uero seu doctrinæ eius, quam homini-  
 bus asserimus, ut habeatur ratio: quæ qualisq;  
 ea sit, & quas ad res conducatur, & quàm mira-  
 biliter sit in usus hominum conseruata, diligen-  
 ter est explicandum. Nam qui uerbi diuini per-  
 spicuitatem, ueritatem, ubertatem, uim, maie-  
 statem

statem sano iudicio, momentoq; suo ponderandā  
 susceperint: quiq; animaduverterint, hoc ipso dei  
 mandato nihil aliud agi, nisi ut nostro honori,  
 nostris commodis, nostræ salutis consulatur: ij nõ  
 poterunt non illud ipsum diligere, amare, am-  
 plecti, admirari, uenerari: omnia deniq; de eo et  
 honorate & honorifice & grauius prædicare.  
 Locorum autem atq; temporum ratione, quan-  
 tum utilitatis ad id, ut frugifera sit & fructuo-  
 sa administratio nostra, afferatur, exemplo  
 Christi & Apostolorum demonstrari facile po-  
 test. Christus enim in conuiuio, quo Phariseus  
 eum exceperat, de optimo hospitalitatis & bene-  
 ficentiae genere: circa sepulchrū Lazari, de re-  
 surrectione & uita: pone templū, de fati urbis  
 & gentis, & mundi ætate ultima: alibi alijs de  
 rebus uerba fecit. Paulus autē Athenis ab ara,  
 qua Deo ignoto consecrata fuerat occasionem  
 prædicandi Christi cepit. Sic cum dies festi so-  
 lennesq; fuerint, aut aliàs uiderimus effusum in  
 omnia gaudia populum: meminerimus ipsum  
 ad pietatem & sobrietatem & modestiam reuo-  
 candum: rursus afflictis & penè desperatis re-  
 bus, supplicationem patri opt. max. cuius unius  
 ope resp. conseruari queat, decernendam mone-



## DE OFFICIO

bimus: sed non sine multis magnisq; misericordi-  
 diae & omnipotentiae diuinæ laudibus. Quod ge-  
 nus conciones, hæc nostra tam misera ac deplo-  
 rata tempora, quibus & rumores bellici multi,  
 ijq; graues & constantes partim feruntur, par-  
 tim occultantur: et multi uehementissimi homi-  
 nes in egestate simul ac luxuria uitam miserè,  
 & incertum puto, qua ratione sustentandam  
 degunt: & disciplina morū penè omnis collapsa  
 est, requirunt. In illis igitur grauissimis atq; dif-  
 ficillimis temporibus ecclesie, à præcone Euan-  
 gelico plus animi, industriæ, prudentiæ requiri-  
 tur. Eorum autem ipsorum ad quos hæc man-  
 data afferimus, inprimis est habenda ratio:  
 nempe, ut quas ad res quiq; maxime propen-  
 deant, & à quibus rursus abhorreant, quæ qui-  
 busq; insint uirtutes aut uitia; quæ cuiusq; sit  
 ætas: quæ fortuna, & quis rerum status. Alijs  
 enim rebus afficiuntur pueri: alias ad res iuueni-  
 tus fertur: alijs delectatur uiri: alijs mouentur  
 senes. Rursus alij diuitem sunt & optimatum  
 mores, quàm hominum priuatorū & pauperū.  
 Vnde Apostolus priore ad Timoth. epistola,  
 Sed adhortare, inquit, seniorē ut patrem, iunio-  
 res ut fratres, mulieres natu grandiores, ut ma-  
 tres,

tres, iuniores ut sorores cum omni castitate.  
 Sunt etiam & grassantur, alicubi, quæ alibi  
 ignorantur scelera: hic odio quodam atq; dissidio  
 alij dissident ab alijs: suntq; inter eiusdē ecclesiæ  
 membra uel de aliqua parte, uel de tota religio-  
 ne graues & inimicitijs incensæ contentiones.  
 Tam in eos, qui officium faciunt acerbius &  
 asperius inuehi: quid aliud obsecro fuerit, quàm  
 sanis & bene ualentibus medicinam adhibere,  
 eoq; ipso ualitudinē magis lædere quàm confir-  
 mare? Rursus autem in hominum sceleribus  
 maximis cōnuere, & in medijs uitæ doctrinæq;  
 erroribus obdormiscere: quid aliud est, quàm et  
 officiū, & fidem, & ecclesiā proderet? Eodemq;  
 modo in questionibus & rebus cōtrouersis, quid  
 factū opus sit, statuemus. Nam & res cōtrouer-  
 sas, quibus agitantur ac tenentur quasi uinctæ  
 suspensæq; conscientia, tacitas præterire: & rur-  
 sus ubi tranquilla pacataq; sunt omnia, ibi qua-  
 stionibus atq; tricus nouis homines inuoluere:  
 perinde in uitio est. Considerandum autem in  
 primis est illud, quibus argumentis Iudæi, qui-  
 bus Turcæ, quibus item Papistæ ad ueritatem  
 euangelicā allici atq; attrahi queant: quæ dein-  
 de rudibus, quæ rursus in Euangelij cognitione  
 d

DE OFFICIO

aliquousq; prouectis sint accommodata: Quemadmodum Paulus etiã ipse scribit, se Corinthijs, dũ in fide Christi teneriores essent, lac præbuisse. Et hanc prudentiã non modo Paulus eo ipso, quod nos diuinorum mysteriorũ quæstores uocat: sed ipse etiam Christus serui cibum familiaribus suis tempestiuè distribuentis, magnopere nobis commendarunt. Ex eo enim rerum, locorum, temporum, hominum delectu, optima argumentorum formæ, exemplorũ aptissimorum usus, rerum uerborumq; ratio recta, qua modo lenitate, modo cõtentione isthæc sit agenda causa, omnia deniq; necessaria bene cõstabunt. Quæ ratione diligenter obseruata ac custodita cauebimus etiam, ne quis hanc cœlestem sapiẽtiã, ceu ineptam & garrulam, & odiosam scientiã despiciat: sed eam sequentur actio considerata, & multæ magnæ utilitates. Inuenta autem & constituta hac secandi Euangelij forma, quod qualeq; sit doctrinæ genus illud, quod nobis est unice cum uersandũ & amplectendũ, tum uerò maximè populo proponendũ: eo ipso Paulus ostendit, quod τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, id est, sermonem ueritatis appellauit. Quod quomodo debeat accipi, ex qualicunq; sermonis & uerita

is notatione perspicuum fiet. Veritas igitur, quæ & plena atq; perfecta est, & perpetuo sibi constans, sed simplex tamen & syncera cuiusq; rei ratio, Christus dominus ipse est & nominatur. Is enim nobis deum, in quo res omnes, quales quales sunt, omnino existūt, unus, ut qui ipse sit expressa patris imago, representat. Is unus ad imaginē Dei, ad quā initio facti fueramus, peccato remoto, nos restaurat ac reformat: is nobis viam ad honorum omnium possessionem sternit atq; aperit: is deniq; nos eò deducet tandem, ut mundanis miserijs molestissq; omnibus exempti, & in ipsum cælū collocati, Deum, qui ipsissima veritas est, possimus coram aspicere, & ut scripturæ uerbis utar, de facie ad faciem uidere. Quæ cum ita sint, rectè sanè Christus apud Iohannem dicit: Ego sum uia, ueritas, & uita. Sed & Psaltes dicit, Omnes uia Dei sunt ueritas, & ueritas Dei undiquaq; sese exerit. Christus igitur & in eo quicquid hominum generi promittitur, præscribitur & datur, ueritas est & nominatur. Λόγος autem sermonē, orationem, causam, rationem, itemq; scriptum significat. Quæ ipsa quoq; Diuus Hieronymus Dei filio, cum sit uerbum & sapientia patris, omnia

DE OFFICIO

eribui posse, rectè existimat. Ac quoniam pater  
 omnipotens, quam in illo promittit beata uite  
 possessione, quosq; eam ipsam acquirendi modos  
 præscribit, multifariam olim, tandem scripto  
 reuelauit: illud scriptũ nos, partim quod affla-  
 tis spiritus sancti sit exaratum, sacras literas:  
 partim quia multis libris utriusq; testamenti  
 continetur, Biblia: quia deniq; perfectum, omni-  
 bus suis numeris atq; partibus absolutum, syn-  
 cerum, simplex, perpetuo sibi constans est, uerbũ  
 ueritatis appellamus. Harum autem ipsarum  
 ut sacrarum & diuinarum literarum uestigijs  
 unice & semper insistendũ iure & merito Pau-  
 lus monet, & nos arbitramur. Nam & incer-  
 tum est & dubium, & Deo minime satisfacit,  
 quicquid extra uerbi diuini semitam inuentũ  
 est & excogitatum: in Deo contra, qui liber est,  
 & ut ita dicam, segregatus ab omni cõcretione  
 mortali, qui sentit et cernit, & intelligit omnia:  
 qui cuncta mouet & regit et moderatur: in ipso  
 inquam solo ueritas inest. Huc accedit etiam,  
 quod omnibus omnino constat, inquisitionem &  
 inuestigationem ueritatis, sic hominis esse pro-  
 priam, ut sine eius notione, incertum sit an ho-  
 mini suũ nomen digne possit constare. Cum ergo  
 nobis

nobis sit inuestigāda ueritas, & hęc alibi quàm  
 in Deo atque eius uerbo nequeat inueniri:  
 quis nō uideat hominibus ijs optime consultum  
 esse, quibus uerbum ueritatis prædicatur? Nec  
 alia, quam teneas, atq; in qua consistas, melior  
 est & tutior uia: quando ea ueritatis uis est, ut  
 contra hominum ingenia, calliditatem, solertiã  
 omnē facile se per seipsam tueatur. Qua de cau-  
 sa Iudæi quondam, cum templū Hierosolymi-  
 tanum restaurarent, quasi rebus nouis stude-  
 rent, apud Darium Hystaspis filium accusati,  
 prophetarum conciones aduersarijs obijciendas  
 arbitrati sunt, eoq; ipso causam suã facile defen-  
 derūt. Quid quod Phariseis Christi prædicatio-  
 ne interdicientibus, Apostoli quoq; mandatum  
 Dei, cui potius quàm hominibus esset obtem-  
 perandū, obiecerunt? Sed & senatus populusq;  
 Tigurinus ubicunq; religionis temere & nefa-  
 riè mutatae unquam accusatus fuit, sacrarum  
 literarū iudicio potius se stare uelle quàm suo,  
 respondit, eoq; ceu scuto semper se defendit. Re-  
 cte ergo Paulus existimat, & optimam ac salu-  
 berrimam esse doctrinã, quæ sit è ueritatis fon-  
 tibus omnis hausta: & docendi commodissimã  
 uia, quam res, locus, tempusq; cōmonstrarint.

## DE OFFICIO

Nunc officij nostri ratione tota paucis uerbis comprehensa atq; explicata: ut omnes ille officij nostri partes & ponderentur à nobis diligenter, & custodirentur diligentissime: eas ipsas duob. uerbis illis *αὐτὸν δὲ αὐτὸν* quasi quibusdam commissuris inter se cōiungit ac compingit. Quorum alterū alij Satage: alij, Solicite cura: alij Stude, exposuerūt: quæ curā, attentionem animi, uigilantiam, laborem, et ut uno uerbo dicam, diligentiam maximam declarant: alterum alij sistendi, alij exhibendi uerbo exponendum censuerunt: quæ etiam ipsa spectare eò uidemus, uti nos Deo ceu paratos ad laborandum seruos: ceu fidos ad tuendam causam aduocatos: deniq; etiam uictimarum uice futuros præbeamus. Ergo animis deo plane deuotis, moribus ad nutum ac uoluntatem Dei compositis: in officio nostro solertes industriq; simus. Hæc uiri clarissimi ratio omnis tanta nobis uideri debet, quanta non est alia in generis humani iudicio ac deliberatione uersata: hæc inquam tanta est, ut omnis ecclesie dignitas, singulorū hominum salus, animarum uita, conscientiarū libertas, tēpla, religio, ius, opes, fortuna, domus, nostræ pietati, fidei, industriæ, sapientiæ cōmissa credi-

creditaq; esse existimemus. Nobis hoc praeser-  
 tim tempore tam afflictio & ad rerum munda-  
 narum interitum inclinato, constituendum est:  
 utrum deinceps uerbi diuini praesidio nudare,  
 an fide & religione recta armare commissas nobis  
 ecclesias malimus: utrum malimus *ἄρα* =  
 βείας id est malè obitæ legationis rei condem-  
 nari, & pœnis sempiternis plecti, an rerum bene-  
 gestarum gloria simul ac præmijs potiri & per-  
 frui. Sed ne aut molestus sim uobis, patres ac  
 fratres uenerandi, aut re pietati industriaq;  
 uestræ uidear diffidere: si de tam perspicuis re-  
 bus diutius disseram: finem iam dicēdi faciam,  
 & ut uobis mihiq; ipsi ad muneris illius fun-  
 ctionem pater opt. max. sui sancti spiritus au-  
 xilium mittat, in unigena eius filio Iesu Christo

Domino nostro supplex orabo: quem ad-

modū ille apud Mattheum do-

cuit: Pater noster, qui es

in caelis, &c.


Amen.

F I N I S.



775877-V

099180



2 A 65

11

11

2854-58

